



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 29. Joannis Christophorsani mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

industria edebat, suumque *latine lingue* Sæcul. XVI.  
*thesaurum* duobus tomis in forma ma- A.C. 1559.  
 jori vulgavit, quod opus in hoc erudi-  
 tionis genere longe præstantissimum,  
 postea iterato prelo Lugduni Anno mil-  
 lesimo quingentesimo septuagesimo se-  
 ptimo excusum prodiit, hæcque editio  
 ceteris magis celebratur. Obiit tandem  
 Robertus Genevæ hoc anno die septima  
 Septembris anno ætatis suæ quinquage-  
 simo sexto, tresque reliquit Filios,  
 Henricum, Franciscum, & Robertum.

§. XXIX.

*Joannis Christophorsoni mors.*

Inter ceteros, qui varios Scriptores Huel. de  
 Ecclesiasticos in diversa idiomata claris Inter-  
 transferebant, minime reticendus est pr. l. 2.  
 Joannes Christophorsonus religione Ca- p. 177. &  
 tholicus, ac natione Anglus, qui hoc, 178.  
 vel juxta alios in priori anno deceffe-  
 rat. Hic Eusebii Historiam ac Socratis,  
 Sozomeni, & Theodoreti libros ex Græco  
 in Latinum transtulit, eaque opera Ge-  
 nevæ Anno millesimo sexcentesimo un-  
 decimo in forma majori impressa pro-  
 dierunt. Ceterum, quamvis valde in-  
 dustrius, doctusque Vir audiat, ejus-  
 dem tamen versiones parum celebran-  
 tur, eoquod stylo minus puro, nimium-  
 que prolixo usus variis laciniis male  
 confutis, verbisque latinæ barbariam

Sæc. XVI.  
A C. 1559.

riem sapientibus undique opus suum respersum videatur; insuper integras periodos, earumque ordinem invertit, ac perturbavit; studiose enim ea verba, eosque loquendi modos, qui tamen aliunde Auctorum suorum sensum depravant, intrudere gestiebat, quinimo sibi munus arrogabat diversa loca, quæ ipsi in hisce Auctoribus obscura videbantur, per notas illis adjectas explicandi: ast pro arbitrio suo quædam refecat, ac sensum intercidit, dum ea, quæ in suis Apographis conjuncta ponuntur separat, separata vero conjungit, unde capitum suorum divisio minime Græci textus distinctioni consonat: Ceterum hic Auctor Theologiæ scientiæ optime imbutus erat, licet artis criticæ ignarus, atque in Romanorum antiquitatibus nonnisi leviter tinctus esset: quapropter ferme semper circa civilium, ac militarium Officiorum nomina hallucinabatur, atque a genuino Auctorum sensu deviabat.

## §. XXX.

*Franciscus Duacenus mortuus.*

Thuan. l. c.  
Genebr. in  
chron.  
Spond. hoc  
ann. n. 35.

Christophorono subjungere oportet alium Doctorem nomine Franciscum Duacenum Brioci in Britania natum, ac Jurisconsultum percelebrem. Hic in Bituricensi Academia Juris scientiam tradens